



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. De diuisione maris Caspij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Quintum, æstibus reciprocis concitari; quod vnus lib. 7. Curtius afferuit.

§. 2. *Vtrum hoc Mare sit à reliquis separatum.*

REFVTABIMVS superiùs eorum opinionem qui cum Scythico mari *Caspium* coniunxerunt, siue per *angustum fretum*, vt plerique veterum, siue per *occultum meatum*, vt Eustathius. Sed duobus aliis modis iunctum, aliis maribus Antiqui crediderunt.

Primus est connecti Oceano Septentrionali per Fluum *Ara-xum* meliùs fortè *Laxartum*: quia is fluuius, vtriusque maris nexus, alluere dicitur regionem Massagetarum, & duos habere fontes, quorum vnus influit in mare Septentrionale, alius in *Caspium*. Ita Strabo libro XI. Sed hoc falsum esse in Tartariâ videbitur.

Secundus modus connecti *Caspium* cum Euxino per Paludem Mæotidem. Meminit eius Curtius lib. 7. cap. 7. meminit & Strabo, & huius erroris causam refundit in ambitionem Macedonum Regi suo domitum orbem arrogare volentium. Certè eâ de re dubitasse Alexandrum ex Arriani 7. constat, vbi ait Regem destinasse Heraclidem quendam, qui de iis quæreret. De mendaciis Patroclion est quod hîc iterum conqueramur.

§. 3. *De diuisione Maris Caspij.*

IN quatuor partes distributum est; quarum ex veteribus elicio nomina Scythicum, Albanum, *Caspium*, Hyrcanum.

SCYTHICVM dicitur eius pars ab ostio *Rhymnici* Fl. Orientem versus ex Pomponio Melâ lib. 3. cap. 5. Sed meliùs ex Plinio lib. 6. cap. 13. extenditur ad Albaniam.

ALBANVM affunditur toti Albanîæ, vt ex disertis Plinij verbis eodem loci constat.

CASPIVM ex mente Melæ, & Plinij à *Cyro* fluuio limite Albanîæ, & Mediæ procedit Hyrcaniam versus, Plinius, à *Cyro Caspium mare incipit vocari*.

HYRCANVM denique occupabat partem respondentem *Rhymnici* fluminis ostiis, ad Orientis vltimum recessum. Sic intelliges quoad ait Mela; *Contra os ipsum in Hyrcanum*; videlicet ab limite Occidentali Hyrcanîæ, qui respondet *Rhymnici* fluuij ostio.